



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De casu animæ in peccatis, 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

C A P V T V I.

De casu animæ in peccatis.

1. **C**Um igitur fui sine te, non fui, sed nihil fui, & ideo cæcus eram, surdus & insensibilis: qui nec bonum discernebam, nec malum fugiebam: nec dolorem vulnorum sentiebam, nec tenebras meas videbam, quia eram sine te vera luce, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Væ mihi! vulneraverunt me, & non dolui; traxerunt me, & non sensi; quia nihil eram, quia sine vita eram, quæ est Verbum, per quod facta sunt omnia. Ideo Domine lux mea, inimici mei de me fecerunt quæcunque voluerunt, percusserunt, nudaverunt, polluerunt, corruerunt, vulneraverunt, & occiderunt me: quia recessi à te & factus sum nihil sine te.

2. Heu Domine vita mea, qui fecisti me; lux mea, qui direxisti me! Defensor vitæ meæ miserere mei, & resuscita me Domine Deus meus, spes mea, virtus mea, fortitudo mea, consolatio mea. In die tribulationis meæ, respice inimicos meos, & eripe me: fugiant à facie mea qui oderunt me, & ego vivam in te, per te. Ipsi enim Domine consideraverunt me: & videntes me sine te, despexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta virtutum, quibus ornaveras me: fecerunt sibi viam per me: sub pedibus suis concalcaverunt me: facibus peccatorum polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt me desolatum, & mœrore confectum. Ibam
post

post eos cæcus & nudus, & illaqueatus funibus peccatorum. Trahebant me post se in circuitu de vitio in vitium, & de luto in lutum, & ibam absque fortitudine ante faciem subsequenti. Servus eram, & servitatem amabam: cæcus eram, & cæcitatem desiderabam: vincetus eram, & vincula non horrebam. Amarum dulce, & dulce amarum credebam.

3. Miser eram, nec cognoscebam: & hoc quia sine Verbo eram, sine quo factum est nihil, per quod omnia conservantur, sine quo omnia annihilantur. Sicut enim omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; sic per ipsum omnia conservantur, quæcunque sunt sive in cælo, sive in terra, sive in mari, & in omnibus abyssis. Nec pars parti in lapide adhæret, nec in aliquo creatorum: nisi quia per Verbum conservantur, per quod omnia facta sunt. Adhæream ergo tibi Verbo, ut conserves me; quia ubi à te recessi, perii in me: nisi quia tu, qui me feceras, refecisti me. Ego peccavi, tu me visitasti: ego cecidi, tu me erexisti: ego ignoravi, tu me docuisti: ego non vidi, tu me illuminasti.

C A P V T V I I .

De multiplicibus beneficiis Dei.

I. **M**iser ego, Deus meus, quantum teneor diligere te, ostende mihi; quantum debeo laudare te, demonstra mihi: quantum debeo placere tibi, innotesce mihi. Intona, Domine, desuper voce grandi & forti